

Fragment of text from the adjacent page, showing several lines of handwritten script in a historical cursive hand. The visible characters include 'M', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z', likely representing the end of a list or a section.



33. XXXII.

34.

AVENA MARTIA,
EPIGRAMMA-
TVM LIBER DE RE-
BVS PANNONICIS,

Auctore

MICHAELE FENDIO MON-
heimensi, P. L.



LAVINGA
Excudebat Leonhardus Reinmichalius,
Typographus Palatinus Anno 1599.

1926

39.



AVENA MARTIA
EPICRAMMA
TVM LIBER DE RE
EVS PANONICIS

Authore
MICHAEL TENDIO MON
heimensis P.



...
...
...
...
H
M
N
C
E
S
T
O



SERENISS. ATQVE
POTENTISS. PRINCIPI, DOMI-
NO RVDOLPHO. II. ROMANO-
RVM IMPERATORI, &c.

Rvdolphe maiestatis aureum cul-
men,
Quo Duce nepotes Romuli suo
gaudent,

Hunc tibi libellum nominis parum magni
Mittimus AVENAM MARTIAM tui belli:
Non satis idoneæ quidem rei structam:
Cùm Tympana tubásq; sibi postulet Ma-
uors,

Et clarius præconium Ducum virtus.
Sed num queam tot inter omnium voces
Tibi gratulantium filere: quantumuis
Obstrepere agrestis audeam Cygnos anser?

A ij Sic

Sic est mearum debitum Camænarum,
Quas, motus inclyti Ducis mei affatu,
Serto virentis Laureæ coronasti.
Hoc ergò quicquid est poëmatis Cæsar,
Tenue quidem, gratâ sed editum mente,
Accipe bonus ea fronte, qua tuis nuper
Militibus audisti patere laurinum.
Hæc nostra, qui Musæa castra sectamur,
Sunt arma puris iuncta precibus: absentes
Sic nos iuuat pugnare, sic triumphare.

Sereniss.

Maiestati tuæ

Subiectiss.

Michael Fendius P. L.
Schol. Neuburg. Rector.

AVE-

AVENA MARTIA
EPIGRAMMATVM LIBER
Michaelis Fendij.

De Iaurino recuperato.

Redita sunt Domino Iaurini mœnia
nostro:
Scribatur fastis hæc celebranda
dies.

Amisisse iuuat: veluti iam corpore sano
Plus delectantur qui doluere prius.
Musa quid expeſtas pigra? immortale poëma
Conde: tuam poſſunt talia facta chelyn.
Caſaris auſpicio Romani tela canamus:
Tu, tua res agitur, Chriſte benigne faue.

AD MUSAS DE D. ADOLPHO
Barone Schvvarzenbergio.

Strides, ſi quando, hilari nunc ludite
plectro,
Iaurina occubuit victus in urbe Geta.
Templa Deo, gentiq; ſalus, & culmina vobis
Reddita ſunt illo, quo Iaurina, die.

A ij Felix

*Felix laude tuâ, qua nulli cedis Adolphe,
Per quem lætitiæ tam bona causa fuit.
Te celebrant, præsens quoscunq; hæc continet ætas,
Et si quos alio tempore vita manet.
Fas etiam tenui mihi te sit dicere versu,
Parua nec infantum respuit ora Deus.*

AD LECTOREM.



*Maiorem videor tibi suscepisse laborem
Lector, quàm tenuis ferre Camæna
potest.*

*Scripturus bellum, vix belli nomino partem:
Et dictis scitu commodiora latent.
Scilicet vnus totâ fit mentio chartâ.
Fortis ubi mansit cætera turba Ducum?
Quot sacri taceo proceres & oppida regni:
Qui non æs bello contribuere minus?
Sed parvæ, ignoscant illi, me parcere auenæ:
Materies magnam postulat ipsa tubam.
Nos tenui Martis sacra delibare cicutâ
Iuuat: ad excelsos non facit illa modos.
Nec quoq; sollicita est, quid, vel quos ordine dicat:
Obuia quæq; metri simplicitate refert.*

Clarius

*Clarius expectent à nostri vatibus æui
Carmen, & Andinas experiantur opes.*

AD D. MAXÆMILIANVM
Palat. Rh. Duc. utr. Boi.

V*Primum nostris Dux illustrissime regnis
Intulit arma ferox perfidiosa Geta:
Militis irrisit non maxima robora nostri,
Annua vix credens Cæsaris illa fore.
At postquam bello nobis exercita virtus
Creuit, & antiquos est imitata patres:
Et nondum exhaustis cessant æraria nummis:
Quos risit nuper, nunc stupet ille viros.
Pœnitet & ruptiam pridem fœderis ipsum:
Conditio oblatae pacis amica foret.
Namq; sibi tanto succisos tempore nervos,
Et belli robur penè iacere dolet.
Hinc tacitè victum se causâ sentit & armis:
Ac metuit sceptris vltima fata suis.
Ante fores igitur nobis, quæ laurea pendet,
Victrici fas est applicuisse comæ.
Ad quam subsidio te Princeps tendere misso,
Nec non magnifici pectoris esse doces.*

AD

AD GERMANVM.



*Rudelis patriam grassatur Turcus in
oram,*

*Quo cedas hostem milite Teuto para.
Illo nempe, tibi qui fasces antè parauit,*

*Qui tulit excellens nomen ad astra tuum:
Cui virtus animum, cui robor a causa ministret,*

Qui colat haud parua^a relligione Deum.

Non furto, nec cæde suos affligat amicos,

Nec Sacramenti negligat ipse fidem.

Totus in hunc Oriens patrium licet irruat orbem:

Hoc fido cinctus milite victor eris.

Sed tu matura paruas extinguere flammæ:

Ne serpant tecti culmen ad usq^{ue} tui.

AD MILITES, QUID DOMI
conferamus ad bellum.



Vamuis continua^a tuti viuamus in vmbra:

Et tractent nostræ mitia tela manus:

*Nec tanto nobis placeat discrimine
præda,*

Palma nec occisis parta cruore Getis;

Nostra

*Nostra tamen iunctim vestris producimus arma:
Marte nec indignam suppeditamus opem.
Nunc animo constante preces & vota paramus:
Nunc ad conatus mittimus æra pios:
Fnde referre bonum fidei tentamus ad actum,
Quicquid corda domi, quicquid in æde vouent.
O si, qua par est, curâ pugnemus vtriq,
Nunc vbi tela Getæ, nunc vbi regna forent?*

AD. D. IOHANN. CONRADVM
Episcopum Aureatens:


Ræsul in exultâ Sacrorum nobilis urbe,
Aurea cui priscus nomina fecit honor:
Fure Getam sacro gladium dstringis in
hostem:

*Fecerit hoc mystes quilibet alter idem.
Fmpia nemo vetat, per tela, repellere tela,
Nec quoque dilatis belligerare sacris.
Si non pugnasses sacrati tempore festi:
Festa celebrasses tu Machabæe minùs.
Quis præstare queat solennia munera templis:
Si diro iaceant omnia versa modo?
Sed tu præficeris non tantùm ritibus aræ:
Iura simul populo das & in vrbe tuo.*

B

AD

AD D. ADOLPHVM, BAR: SCHVVAR-
zenbergium, de expugnatione Iaurini.

 *Teutonum regale Sidus Heroum
Adolphe Schvvarzenbergiae decus gentis,
Et grate libertatis optimae vindex:*

Sensit tuum tyrannus impetum, sensit,

Quem Pallados Germanicae nouum munus

PETARDA Iaurino peregit effracto.

Tremebat ictu mota flammeo tellus:

Remugit aérq; excitâ è solo portâ:

Stygis vt putaret regna Bassa motari.

Hæc signatu victoriæ secuturae

FABICVRTIO viam parante tormentis,

Secutus irrupisti ad hostium strata:

Non immemor prius docere, quò tendant,

Quid moliantur milites ad ingressum,

Omnesq; virtutem monere per casus.

Securus interim suæ necis Turca,

Hoc gallicinio suscitatus insueto

Frendentis instar proruit lupi tectis,

Certus fidem domino cruore testari.

Calet hinc vtrinq; pugna, calet & hinc cædes:

Miscen-

Miscentur omnia, flamma, tela, clamores.
Manare riuos cerneret cruentatos,
Et corpora per inane tota torqueri.
Ancipite Mars acie fretus diu stabat.
Donec fauore numinis tuæ palma
Lætum virens cederet Adolphe virtuti.
Sic Cæsari reddis suo caput sceptro:
Sic forte propugnaculumq; Germanis.
Fo triumphæ, gloriam tibi Princeps
Hæc lux parauit vna seculis dignam,
Et gaudio solennitatis æternæ.
Sed parricida, sacrilegèq; tu inceste,
Eng allus æneus tibi canit Turca,
Fstèrèq; retro labitur: quid irrides
Tam pertinax Christumq; Christianosq;?

AD D. FRIDERIC. PALAT. RHEN.
Duc. Boior. Rom. Imp. Archidap. &
Electo:

Honore qui Palatii viges summo,
Semptemq; non minimus es inter Heroas,
Arbitria quorum deferunt Duci regnum,
Bis excitaris classico, bis implorant
Tua subsidia, loco sed dispari gentes:

B ij

Illinc

*Illinc furore Pannonos Getæ pressi:
Externus hinc quos prædo vexat immanis.
Vtriq̃ plebi accurre Christianorum
Dux Christiane: nec tyrannidis sævum
Vtriusq̃ viribus minor time robur.
Nam cui, nisi astris ipsa palma debetur?*

AD DD. GOTFRIDVM COM.
Oetingen. & Emichum Com. Leinning:



*Vos iura tori magno de stemmate
iungunt,
Excelsum geminae stirpis in orbe
decus:*

*Sic pietas, veri sic rarus candor amoris,
Sic vos iunxerunt carmina nostra duos.
Nec satis est, animo patriam defenditis vno:
Estis & affini mente fideq̃ pares.
O quando cum pace redit concordia mundo:
Obtinet aut palmam causa probata suam?
Sed quicquid fatum Romano destinet orbi,
Lumina vos regni tempus vtrumq̃ colat.*

Ad

AD VLMAM.

Vlma per Imperij cultas ter nobilis vrbes,
Danubii primum fontis ab ore decus:
Quotquot ad Austriacum mittuntur robo-
ra Martem,

Vix sunt officiis commodiora tuis.

Tu naues studiosa paras: Istròq; secundo
Innumera defers arma viròsq; rate.

Haud leue munus id est: quod si contingeret hosti,
Quis posset vires sustinuisse Getæ?

Tu largas transmittis opes de diuite gaza:

Non minuunt numeros hæc tamen æra tuos.

Qui faciunt alios, te non fecere superbam

Nummi: virtutis maior inhæret amor.

Nec nocet imperii quòd tantum villa voceris:

Quando tuæ cedunt oppida magna casa.

AD CHRISTIANOS EX
Ezechiele.

Christiani mæsta nominis turba,
Te Turcicus furor hinc & inde percellit:
Nec vlla perditæ rei salus constat.

Non militum, vel principum vigil cura,

B iij Non

*Non te reperta patriæ arma defendunt,
Vrbesq; naturâ vel arte munitæ,
Fatere tibi cœleste numen irasci:
Et desine meruisse flagra peccatis:
Sic consequetur ira mox suum finem.
Vnum tamen tibi videtur instare.
Fuga, iuga mediterrea video tua Israël
Completa Gogicis Magogicisq; armis:
Quæ mittit anfractus per horridos arctus.
Hostes sed æthereo iacent ab impressu:
Fulmen tibi militat: & esse se Ioua.
Numen perillustri probauit exemplo.
Fruere tuis ex hoste gaudiis cæso,
O Christiani læta nominis turba.*

AD D. PHILIPP: LVDOVICVM
Palat. Rhen. Duc. Boi.

Nstat Turca ferox orbi Ludouice pa-
terno:
Iamq; diu Imperii lassat & haurit
opes.

*Tu variis, animo quo non ardentior alter,
Auxilium rebus largiter vsq; paras.*

Nec

*Nec piget in sumptum curas intendere belli,
Martis & hospitio demeruisse viros.
At qua mente Deum, quo religionis amore
Feruidus in regni prospera tela vocas?
Solutus & Isacida cladem differre videris,
Ac Istro fati surripuisse metum.
Hinc te miratur regni cum plebe Senatus:
Curat & exemplo iugiter arma tuo.
Hinc credit, seu bella Getæ, seu fœdera malint,
Te saluo tutum cæsaris esse caput.*

DE CAUSIS CLADIVM
acceptarum.

M*Iraris nostras per tot iam secula clades:
Marte frui contra prosperiore Getam.
Expendas tecum quæ sit discriminis huius
Causa, frequentatis continuata malis.
Omnibus est curæ sua res, sed publica raro.
Vicini latâ quis miseretur ope?
Vertitur à nobis in propria viscera telum:
Multâq; tradidimus proditione Getis.
Friget amor templi: Christus depellitur vrbe,
Nec satis est, cælo pellitur ille suo.*

Luxu-

*Luxuries, fastus, manifesta libido per altos
Ascendere simul, mox ruitura, gradus.
Et miraris adhuc pro tanto criminis ausu,
Victorem toties nos tolerasse Getam?*

AD D. RVDOLPHVM CORRA-
ducium R. Imp. Vicecancellarium.



*Vis muneret curas, & maxima pondera
rerum,*

*Quæ tu vir magna nobilitate geris?
Sceptra quidem solus Cæsar Romana tuetur,
Hæc tamen admotâ dirigit ipse manu.
Sit quoque per regni Cancellos ordine maior:
Tetamen officium, quod gerit ille, manet.
Tu causis præfectus ades: te suspicit orbis:
Nititur ingenio Cæsaris aula tuo.
Extera quæ turbant simul & vicina tacebo:
Heu quantum solus Turca facessit onus.
Sic tamen aut Themidos, vel sic te Pallados arti
Tradis, vt & Clio possit habere locum.
Hinc, quotquot toto iam florent orbe, Poëtis
Tu, quod suspicient secula carmen eris.
Me quoq; dum laurus mihi Cæsareana virebit.
In laudem rapiet blanda Thalia tuam.*

HALA

HALA SVEVORVM.

S I studium mores quadam ratione sequun-
tur:

Et sæpe in fabrum res agit acta suum:

Pectora si Musæ mitescunt aspera cultu:

Fusoriq; suo fusa metalla nocent:

Fpsa quoq; insigni morum condita lepore

Se salis excocti munere prodit Hala.

Prodit candorem per condimenta vetustum:

Arbitra nobilibus quòd fuit antè tubis.

Curia iustitiæ, templum pietatis ibidem

Candore illustrat mœnia tota suo:

Idem quid Getico profecerit vsq; duello,

Cæsarei miles laudat amatq; Ducis.

Hoc nihil vrbs tetrae munita nigredinis horret,

Quam liuor tacitus, quam Stygis vmbra facit.

AD D. CHRISTIANVM DVC.

Saxon. R. Imp. Archimar. &

Electo:

D Vm te fidus adhuc obseruat tutor in aula,
Summâq; de patrio stemmate iura ma-
nent:

C

Et

Et tibi regnandi formantur pectora lege,
Incluta Saxoniae spes columenq; tuae.
Martis onus commune tuis regionibus instat:
Quod cum deducto milite vexat opes.
Tu propulsandi studio promptissimus hostem
Maxima Caesarea sufficis æra tubæ.
Plus etiam conferre tibi fortasse liberet,
Si quid præterea publica causa volet.
Sed iam fida regit te grati cura patroni,
Caesaris & pariter res agit ille tuas.

EPITAPHIUM MILITVM à
Turcâ occisorum.


Elices animæ, quarum per vulnera virtus
Emersit voti fine potita sui.
Vos, cum Turca ferox patrias sæuiret in
oras,

Fascibus interitu fata minante sacris,
Quid non antè mali patriæ tolerastis amore,
Quàm fuit extremo vita peracta die?
Corpore totius regni commissa luistis:
Debetur vestræ quod sumus omne neci.

Desinit

*Desinit offensi vitio nunc numinis ira:
Et sua religio munera laudis habet.
Hic ergo aeternum populi viuetis in ore:
Præmia martyrio digna feretis ibi.
Nec vos pœniteat solito caruisse sepulchro.
Nam bene qui dormit, sat bene ubiq; cubat.*

AD D. VVOLFANGVM ARCHI-
epif. Mogunt. R. Imp. Cancel.
& Elector:

 *Vmme Moguntiacâ princeps ac præsul in
æde,
Cuius ad arbitrium Germanæ curia legis
Temperat imperii iusq; bonumq; sui:
Hinc commune subis domino cum Cæsare pondus:
Quod facit ex omni sollicitudo loco.
Consulis & Marti contra perjuriam Turcæ:
Et facis ut toto crescat in orbe quies.
Sic gaudet, varijs licet anxia sæpe periclis,
Per te salua foris patria, salua domi.*

C ij

AD

AD RATISBONAM

Moenibus & claris vrbs antiquissima factis,
Nomine quæ gaudes de bonitate ratis:
Durat adhuc priscae tibi iam constantia
famae:

Et tua Caesaribus pectora fida probas,
Fnte quòd totus consultat sæpius orbis:
Non locus id solùm commoditatis habet:
Candori ascribas subsellia credita regni,
Et fidei populi, quam colit vsq; tui.
Hanc missà testaris ope, quam tela requirunt
Caesaris, ad nutum cuncta parata sequi.
Quid loquar officium consultæ mentis: & illum
Quo tu Pierii fontis amore cales?
Donec erit virtus igitur, cultusq; Thaliæ,
Nobile florebit nomen in orbe tuum.

AD TVRCAM DE IPSIVS
interitu certiss:

Hactenus immodicè quòd Mars tibi fauit
in armis:

At nobis contrà Pallas iniqua fuit:

Quis

Quis negat hoc læsi contingere numinis ira?
Sic solet in natos scilicet esse suos.
Sed tu lædis idem maiori crimine: nec te
Vlla tamen iusto vindice tela premunt.
Num tibi propterea felicior esse videris,
Liber & exitii cladibus esse tui?
Falleris, & dignam dabis isto crimine pœnam:
Quam tibi damnati duplicat ara sacri.
An fatum nescis, Acheron quod dicat in aurem,
Fam iam ceruices triste manere tuas?

AD CHRISTVM OPT. MAX.


AH Christe populo parce Christianorum,
Populo, cruore quem tuo redemisti.
Quousq; tandem pecudis instar abiecti
Mactemur ob nomen tuum die toto:
Cum Turca multis seculis peroptatas
Totius orbis victor auferat palmas?
Si non tuorum miseret hoc in afflictu,
Nec te mouent precēsq; votāq; dolentūm,
(Sic debitas fato rotante vindictas,
Vlciscere: parati sumus pati quiduis
Te propter. Ast honore de tuo res est.

C iij

Quos

Quot arguunt tuum impotentiae numen:
Et praefereunt Mahometicas tibi nugas?
Taces ad ista, nec Deum doces te esse?

AD ARGENTINAM.

 Vid tibi longinquo cum gentibus orbe re-
motis:

Quas in difficili tempore fida iuuas?
Nam quae Teutonicas hinc claudis limine terras,
Pannoniae auxilio gentibus inde venis.
An iubet hoc pietas: quae te vult tendere lapsis
Astrictam nullam conditione manum?
Aut forte imperii, tibi vel communio iuris
Non ex distantia tollitur acta loco?
Sunt equidem, sunt magna tuis haec pondera telis,
Quae per coniunctas stringis & ipsa vices.
Attamen est aliud, quod te iubet esse benignam:
Scis quid bella mali dissidiumq; ferat.
Conscia difficilis moti per sacra tumultus,
Taliter afflicto promptior esse soles.

AD

AD, D. ADOLPHVM BAR.
Schvartz. de reliquis post receptum
Iaurinum captis arcibus.



*Q*uas capis edomito Iaurini fortiter hoste
Ereptas Turcæ laude minore domos,
Schvartzenbergiade patriæ laus ma-
xima terræ,

Tempore summa quidem palma fuere suo:
Quando sub infidâ res proditione iacebat
Nostra, laborabant totâq; regna metu.
At postquam sincera fides iam præsidet armis:
Ac vis Germani pectoris illa redit:
Vix ea parta suum retinet victoria nomen:
Et tantùm Martis laurea magna placet.
Sic vbi maiorum fit copia certa ferarum,
Sordet cuncta tibi præda Diana minor.
Nec mea, quicquid id est, breuitas admittit Aue-
Et mihi Iaurinâ sufficit arce frui. (næ:

AD D. MATTHIAM ARCHI-
ducem Austriæ.

*Q*ui gaudes mutare vices cum fratre laborum
Matthia sortem nil remorate grauem:
Nunc

*Nunc in periuros iterum proficisceris hostes:
Fortunet pariter castra viamq; Deus.
Non solùm tibi robur adest, ac militis ardor:
Sed fortes etiam religione preces:
Numen adest, quo nulla tibi præsente nocebunt
Tela. quid humanum robur ad astra putes?
Non Styga, nec Scythico nobis metuamus ab
hoste;
Si Deus est, nostras qui tueatur opes.*

AD NORIMBERGAM.

B *Arbarici teritur nunc ætas sexta furoris:
Nec finis tetrici Martis amicus adest.
Sed nec suppetiis tu fatigare parandis:
Crescit & officium continuando tuum.
Siue viris opus est, seu res desiderat arma,
Maxima subsidio laus in utroq; tua est.
Constat, in æternum quo Norimberga fruëris,
Hoc virtute tibi consilioq; decus.
Tu simili templi, tu sacra Heliconis amore,
Tu cœla, & quicquid claret ab arte, colis.
Perge simul belli pacisq; excellere cultu,
Exemplo & reliquis vrbibus esse bono.*

Sic

*Sic inter patriæ clarescas oppida lumen:
Sic & vicinis concilière tuis.*

EXHORTATIO AD PVGNAM.

I*rrue barbaricas in turbas, irrue miles,
Magnanimusq; sacri perfice Martis opus.
Libertas patriæ sumptis defenditur armis:
Vindictam læsi numinis ara cupit.*

*Ecquem non moueant tot corpora cæsa piorum:
Tot peiora truci vincula dura nece?*

*Ne metuas, belli qui nescit fidere causa,
Conscia cui dirum crimina pectus agunt.*

*Irrue, victrices spondent tibi numina partes:
Ipse licet fuso sanguine fata luas.*

*Non solùm vivis debetur gloria palmæ:
Vincit & intrepidè quisquis ad arma cadit.*

EPITAPHIVM D. CAROLI

Princ. ac Comit. Mansfeldii.

C*arolus antiquæ Mansfeldia gloria gentis,
Non minor à proprio laudis honore
Comes:*

*Conflictus intermedios prognatus, & enses,
At teneris didici tela cruenta puer.*

D

Vidi-

Vidistis Belgæ, pariter vidistis Iberi
Martis & ingenii robora cauta mei.
Quid tibi præstiterim turbatis Austria rebus:
Principis hoc titulis officiosa doces.
Præmia virtuti regnum quoq; grata dedisses:
Ni foret à subitâ spes mihi pulsa nece.
Sed iuuat hîc Turcis mortem subiisse fugatis:
Martyrium est, quoties sic bene miles obit.

AD D. MAXÆMILIANVM AR-
chiduc: Austriae, Summ. Magistr. Eq.
Teut. design. reg. Poloniae.




Christiados ductor Maxemiliana co-
hortis,
Quæ se pro sacris vouit ad arma
mori,
Quàm pius in fratrem, quàm dirum promptus in
hostem,

Fortia pro patriæ tela salute geris:
Fas erat immunem belli traducere vitam:
Et dare Teutonicis mitia iura tuis:
Dura tamen subiisse iuuat discrimina; duri
Corde Getæ magno sustinuisse minas.


Sceptra

Sceptra tibi spondet placidum clarissima sidus.
Tu reddes Aquilæ corpus utrumq; sacræ.
Tunc ultro tibi regna aderuut: tunc India Thulæ
Te socias iuget conciliante manus.

IAVRINVM AD CHRISTIANOS.


 Hristiada, facunda solo quos Teutonis ora
Sustinet irriguis quæ fluit ister aquis,
Ecquid læta iuuat vestri reparatio castri?
Nam decus & robur claustraq; vestra sumus.
Nec sua debebit PALMÆ plus Illyris olim:
Mæq; volet clauem non minùs esse suam.
Quattuor absoluit nondum sol tristior annos,
Ut me dirus habet proditione Geta.
Teutona sed nostram rumpens solertia portam,
Restituit domino mœnia nostra suo.
Si colitis numen deuoti pectore, seruator:
Impia si geritis corda, perire queo.

AVGVSTA.

 Vrea magnificis Augusta ac splendida
tectis,
Vindelici præstans lumen & orbis honor:
D ij Quæ

Quæ nomen cultis Augustum moribus æquat:
Et genium vincit durius arte loci:
Virtutum quicquid totus complectitur orbis:
Fpsa suis junctim mœnibus omne fouet.
Virtutem comitantur opes: sed fastus ibidem
Non audet faciles contemerare domos.
Subsidium bello, mirare, quòd anxia mittit:
Et cauet impendens sobrietate malum:
Diues opum auertit latè vastantia Martis
Fulmina, pauperibus non metuenda locis.

AD D. FRIDERIC. DVCEM
V Virtenb. & Tecc.

 Irtenbergiacæ dux felicissime terræ,
Hic vbi Neccaricis prouenit vna iugis:
Seu decus imperii, qua debes parte, tueris:
Sive tuos æquo iure fouendo regis:
Fngentes tibi Pallas agit iustissima grates
Teutonis, auxilii pro pietate tui.
Tu iam contentus tam grati numinis ore:
Necessa afflictis tradere rebus opem.
Tempus erit, quo diua memor benefacta rependet,
Ac reddet cædes hostibus vltæ tuis.

DE

DE VICTORIA.

HÆc, quæ totius domina est victoria mundi,
Quam coluit Latia vulgus in vrbe
Deam:

Qua nihil aduersus nociturum lætius hostem
Audit sollicito libera terra metu:

Cuius & aspectu fruitur, de clade superstes
Quisquis ab hac nutu supplice poscit opem:

Non ea consiliis hominum, nec viribus ullis
Subiacet: à Domino sed venit illa Deo.

Hanc sperent, quibus alta fauet clementia cœli,
Quiq; placent causæ dexteritate suæ.

Sæpe tamen fauor ille latet: partemq; videtur
Peiorem irato numine palma sequi.

Scilicet offensæ pœnam Deus exigit vltor:
Dum castigandos sic putat esse suos.

Eheu, quando tuos patrio nos respicis ore,
Quando beas nostri Cæsaris arma Deus?

Quando erit, vt Geticus tua fulmina sentiat
hostis:

Et mastyx populi desinat esse tui?

D iij

AD

AD INVIDVM.

Non exacta mei quid rides carmina libri,
Materia paruos exuperante modos?
Cetera maiori cantanda relinquo Poetae:
Timpana qui Martis clara ciere potest.
Ille Ducum referet cum maiestate labores:
Et qui subsidiis arma tulere suis.
Gaudia sat tenero nobis est ludere versu:
Quae sonat ad laetum rustica turba focum:
Hic ubi grandaeui Corydon miratur Iolae,
Et vocem nati balbutientis amat.

AD DD. IOHANN: OTHONEM
Henr. & Carolum P P. Rh. DD.
Boi: &c.

Rama Palatinae triplex & gloria
gentis,
Antiqua fratres pectora iuncta
fide:
Quos iuuat incertis regni succurrere rebus:
Quod ferus hinc bellis hostis & inde premit.
Proficiant operae, quascunq; paratis ad arma:
Ornet & insontes debita palma tubas.

Nec

*Nec vos pro patria robustus terreat hostis:
Aut minuant animos tela minora pios.
Quæ venit è caelis dubii victoria belli:
Sæpius ad partem debilioris ouat.*

IN COMMENDATIONEM D.
Adolphi Baronis Schvartzenbergii.

*C*ontigit Austriacis Virtus Nigromontia telis,
Non Mansfeldinâ nobilitate minor.
Proditio castroq; metus abire tumultu:
Cautior ad fraudes sollicitudo redit:
Priscâq; Teutonicis rediere insignia Martis:
Mius & igni omæ prodiit artis opus:
Nec sua pugnantes, sed patria causa laceffit,
Sed defendendæ religionis amor.
Hoc animo, si fata volunt, superabimus hostem:
Hoc, si noluerint fata, perire decet.

AD D. GEORG: FRIDERICVM
March. Brandenburg.

Brandenburgiæ princeps fortissime
gentis.
Regia Onolsbachia quem colit alta
Ducem:

Tor

Tot genus antiquæ titulis te laudis honorat:
Ut soleant Clarios exuperare modos.
Nec tu laude minor veteri contendis auorum
Famam incrementis accumulare nouis.
Pectora magnanimum spirant tibi fortia Martem:
Quem largus missa testificaris ope.
Talia tu condis patriæ quoq; robora sedi:
Qualia non alibi mœnia Pallas habet.
Quæ dum perpetuos inuicta existit in annos,
Te simul atq; tuos arx imitatur auos.

AD CHRISTVM OPT. MAX.



Christe iuua, nos Turca premit crudeli-
ter hostis:
Cur animum patris dissimulare
potes?

Implorant te sacra Deus lectissima templi:
Et tamen optatam Christe moraris opem?
Tu nostrum posses etiam nunc forte per orbem
Quinq; bis innocuos enumerare viros.
Parce decem iustis. Cur totam excindere gentem
Est animus, sacri cui placet ara tui?

Sed

Sed tamen auxilium certâ speramus in hora:

Tarda licet veniat forsitan illa dies.

Nos obita vel morte iuues: non sera putetur

Laurea si nostræ posteritatis erit.

AD D. GEORG. LVDOVICVM

Landgrauium Leuchteberg.

D Vm simul auxilium patriæ transmittis ad
arma,

Leichtenbergiacæ maxime gentis
honor:

Et duce cum nostro curas pro milite nummos:

Robur in elatum res habet ista Getam.

Certa necis faciunt leuiorem præmia sortem:

Et satur impigrior miles in arma ruit.

O quàm iusta datur, quæ constat sanguine merces:

Vitâq; persolui non satis ære potest.

Sic patriæ geminâ seruis pietate: pariq;

Flustras nomen sic ratione tuum.

AD ILLVSTR. FAMILIAM

Fuggeranam.

F Fuggeriadum sublimi pectore gentem,
Illustri mitem nobilitate cano.

E

Non

Non solum mirata iubar per secula fulgens
Ille tuus patrio splendor in orbe micat:
Sed radiis totum crescentibus occupat orbem:
Ut sol scandentes ignibus auget equos.
Diuitiæ virtusq; tui sub luminis aura
Sunt apicem iuncto vertice nata suum.
Nec fortuna vices sublata per alta reuoluet:
Sic data pauperibus munera larga beant.
Subsidiis etiam Getico vexata furore
Fortior est Pallas Casareana tuis.
Ipse nec Hesperia rector, qui Marte superbit,
Te sine militia grande peregit opus.
Sed cesso tenui sublimia dicere versu:
Flias est laudi vix satis vna tuæ.

DE CHRISTIANORVM
Calamitate.


Halleris, aduersæ qui tantum fulmina
sortis.
Indicium aduersi sideris esse putas;
Sæpius huic numen succenset: tempora
cuius
Omnia felici prosperitate fluunt:

Cui

Cui facit elatam constans victoria mentem:
Quis impune suas auget iniquus opes.
At nos, delicti si quid committimus, vrget
Quicquid terra mali, quicquid & Orcus
habet.

Hinc etiam Scythico toties superamur ab hoste:
Et cunctis prædæ ludibriisq; sumus.
Ne placeas igitur tibi rebus Turca secundis:
Nec tibi propitium duxeris esse Deum.
Diligit vt natum, quem corripit ille: sed idem
Negligit arbitrii quem finit esse sui.

AD MILITEM QVENDAM

 Empora cum prisco non cedant ritibus
æuo
Nostra: sed exhibitio sint meliora
Deo:

Auxilium nobis miraris abesse Iehouæ:
Nec vires tantâ strage probare suas.
Si pietas antiqua, nouis cumulabere palmis:
Turcus & à quouis pumilione cadet.

E ij

AD

AD DD: BVGISLAVM ET
Frideric. Stetin. & Pomeran.
Duces, &c.

Vos ò magnanimo Pomerani sanguine
creti,

Germanos inter gloria magna duces,
Novistis, quid Turca ferox crudelibus ausis,
Intent & patrio sæua per arma solo,
Atq; tulistis opem. Nam qui virtutibus antè,
Heroas latâ nunc superatis ope.

Acceptum ingenii referatur dotibus illud:
Quæ vestræ culmen nobilitatis amant.
Quis non miretur rigido sub vertice mundi
Pectora mansuetas excoluisse Deas?
Atqui etiam Tegeæa dato pro sidere cœli
Hæc colit ex aliis vndiq; pulsa locis.

AD ISTRVM.

Isther arenosi micis argentee fundi,
Multiplicis famulo gurgite rector
aquæ:

Eheu pene tibi strinxissent vincula palmas,
Ausâ tuos pridem detinuisse pedes.

Sed

Sed nunc Iaurino vis Schvartzenbergia capto
Subsidium dextris attulit ecce tuis.
Quin etiam fient deuicta ingentibus armis
Cætera sic iuris mœnia serua sui.
Labere per nocuos undis vastantibus agros:
Mox dominâ pontum liber adibis aqua.

ROTEBURGVM.

Vrbis munita situ Tuberanis edita cliuis,
Inter Francigenas maxima laude
domus:
Nomina de rubro cui sunt gratissima
castro:
Atq; sub egelido mitior aura polo.
Læta Ceres commendat agrum, commendat
Iacchus:
Et cum vicinis gratia culta suis.
Splendida sed maius decus intra mœnia cernes:
Quod facit æquali iusq; piûmq; loco.
Fngenui mores populo, sine felle lepores:
Vitâq; cum patriis congruit apta sacris.
Qualis amor Clarii, qualis reuerentia fontis?
Fñ nos hoc etiam fulsit ab igne iubar.

E ij

Non

ed

*Non mare sollicito percurrunt mercis amore,
Res est cum terræ fœnore tuta viris.
Cæsaribus præstare fidem respública felix
Gaudet: & in belli munere larga fuit.
Fam breue carmen amet nostrum: mox forte
licebit*

Pro desiderio reddere plura mei.

SOMNIVM VERVM AVCTORIS.

N*Empus erat, quo nox iterum decliuis
olympo*

*Cederet auroræ mox venientis equis:
Dum me dulcis adhuc defessum somnus
habebat:*

Talia sunt oculis visa notata meis:

*Ante ferum iacui proiectus sponte tyrannum,
Spes mihi quòd timido nulla salutis erat.*

*Forma viri truculenta fuit: talemq; fuisse,
Mœnia possedit qui Iauarina, puto.*

Occupat ille meas protens à cuspide fauces:

Sed tamen hæc omni plaga dolore caret,

Erigor hinc subito: telòq; per atria tecti

Quotquot erant mecum pello repente Getas.

Cantha-

*Cantbarus illud erat telum: quo fortiter vsus
Aufugio, hinc stratis euigiloq₃ meis.
Fllius hæc fuerant dilucula fausta diei:
Reddita qua nobis arx Iauarina fuit.
Non hîc sollicitè Chaldæam inquirimus artem:
Somnia luserunt temporis astra sui.*

AD DOMINVM MAVRITI-
um Cattor: Ducem, &c.



*Um non parua duci cultæ sint gloria
Musæ.*

*Altera Cattorum lausq₃ decusq₃
domus:*

*At teneris placuere tibi Parnassus & Ascra:
Lusisti sacrum tiro Davidis opus.
Fam matura quidem se tradit fascibus ætas:
Non tamen Aoniis abstinet illa modis.
Fdem Pannoniæ succurris milite genti:
Nec minus imperio prospicis arma tuo.
Antè tibi Clariâ Princeps de fronde coronam,
Nunc lauri sertum Pallas utrumq₃ parat.*

DE

DE PETARDA INSTRUMENTO
bellico novo.

Auditur quantum per terræ viscera mur-
mur.

Ingenti quoties ipsa tremore mouet:

Pallidus arreptis quassato culmine natis

Tecta fugit properè cum ruiturâ pater:

Tantus inhorrebat Iauarinâ terror in vrbe.

Tu Styga credideras: Machina, Turca fuit.

Sed cuius tremarent Orci quoq; limina pulsum:

Et sclopetâ minus nota furoris habent.

Quàm latè varium rudus volitabat in auras:

Cùm subitò castrî dissiluerè fores?

Quàm dulcem audiuit crepitum Nigrimontius
Heros?

Militibus gratæ quàm putèrè viæ?

Cur Deus indulget nobis tam nobile telum?

Numquid vt imperium destruat ille Getæ?

An magis vt doceat, si mens non læua mo-
retur,

Nos posse ingenio vincere, posse manu?

EPI-

EPITAPHIVM AMVRATÆ
Turcici Tyranni.

Sceptro tyrannus, latro Marte Sultanus
Neronibus multò impientior diris,
Cui non satis, quod habet vbiq; terrarum:
Fdeòq; fixi pacta fœderis rumpens,
In nos, & in suos furenter immanis,
Totius animo regna concipit mundi.
Cupidus suam deinde nosse fortunam,
Oraculum Ditis rogabat assueti:
Hostes, an ipse victor iret ad bellum.
Tacitum est. Sed ista dispulit dubia fatum.
Nam dum luis per grata fonticæ iura
Fureret, Stygis sub corde sentiens flammam,
Et alloqui vatem suum putaretur:
Finem cupiditas vitâq; simul acceptant.
Fam satis habet terræ, sed haud satis lymphæ.

AD D. FRIDERIC. VVILHELM.
Duc. Saxon. & Electorat. Administr.

Rariùs in vilem ludit fortuna popellum,
Alta petit: summæ plus patiuntur opes.
F At

At si magnificis coepit studiosa favere:
Ille modum dominae nescit habere fauor.
Novistis magnae celsissima culmina gentis
Saxonicae varia stemmata sorte premi.
Scilicet hinc aevi praesentis vestra, simulq;
Materiam virtus sumpsit auita sibi.
Te quoq; magnanimae commendant robora mentis,
Commendant curae dux Friderice pie.
Fidus & imperii causae testatus amorem
Misiisti in turpes fortia tela Getas.
Inde tibi Caesar merito fauet: inde merenti
Contingit socero laudibus esse parem.

AD D. ADOLPHVM BARONEM
Schvartzenbergium.

Maxima crudeli praestas miracula Turcae,
Teutoniaq; decus tollis ad astra
tua:

Cum reparas Domino Iauarini moenia nostro:
Et quantum valeat Teuto per arma doces.
Nec tempus longa teris obsidione: per horas
Quatuor absoluis nobile victor opus.

Sic

*Sic aplustre canit, sic retro labitur Ister,
Et frustra ridet Cæsaris arma Geta.
Sic clauem regno dum reddis Adolphe paterno,
Debetur patriæ iusq; salusq; tibi.*

AD D. RVDOLPHVM II RO-
manorum Imperatorem.

Romani sceptro solii dignissime Princeps,
Qui regis ingenio dexteriore tuos:
Cui vicina placet non tela laceffere telis:
Non illata tamen cædere ad arma Getæ:
Viribus in sæuum totis incurre tyrannum,
Et libertatis iura tuere piæ.
Te, si quid causæ bonitas, iustumq; valebunt,
Perpetuo suavis palma virore manet.
Pondus Io quantum Laurini mœnia celsa
Fascibus adiiciunt summe Rodolphe tuis?
Nec tua reflexo cædat victoria damno:
Arma solent varias semper habere vices.
Altera lux oritur quandoq; serenior hosti:
Ut discas hominum sidere tela regi.

F ij

IN

IN TVRCVM.



*Vid Turce palmâ gloriaris obtentâ:
Quam tua parauit tibi nec ara, nec virtus:
Sed nostra tibi crimina, sed indecens sa-
crum:*

*A patre castigamur ergo nos Ioua.
Num tu ferula tribuis tibi, quod est patris?
Mox consequere muneris tui finem:
Si filios pœniteat, ipsa flagrabis.*

AD D. VVOLF. THEODORICVM
Archiepisc. Iuuaviensem.



*Hæc, quam stringit aquâ siliente Iuuavius
urbem,
Quæq; sui meruit flaminis esse tholus,
Nominibus variata tribus, tria munera signat:
Quæ sunt ingenium præsul adeptæ tuum.
De Ioue qui dicat: scit te Iouis esse ministrum,
Et sacra per Canones excoluisse graues.
At qui de fluuii dictam, seu voce iuuandi
Censeat: ad largas respicit ille manus.*

Namq;

*Namq; iuuas, operâ si quis videatur egere:
Nec parcè, in meritos maxima dona volant.
Cæsaris extollit belli tua robora miles:
Hortatur propius tēq; cauere malum.
Germanum Germana refert tibi pectora nomen:
Cum sint prudenti candida tota sale.
Nota loquar cunctis. quis enim non cerneret illam,
Quæ splendet summo lux radiata loco?*

AD GERMANIAM.

E*uropæ geniale solum, quæ maxima
mundi
Sceptra tenes placido Teutonis ora
Deo:*

*Pannonia auxilium petit à te rebus in arctis,
Flla tibi gemino fœdere iuncta soror:
Fámq; sui magnam desiderat anxia partem:
Qua saluâ regio tutior ipsa fores.
Vicinam vicina iuua: ne quando relictâ
Incumbat tectis proxima flamma tuis.*

F iij

MILI-

MILITIS CHRISTIANI

deuotio.

Nuicta licet indulgeas Schythis arma:

Victoriaeq sit minus tuæ genti:

Et iam diu feramus impetum Turcæ:

Teneatq regna latro perfidus nostra:

Tamen esse tete credimus patrem nobis.

Apud te & oculis & animis sumus Christe:

Adeoq partes tibi in vtrasq deuoti:

Vt in acie nos susq deq ducamus,

Virum superstites ne simus, an cæsi.

AD D. ADOLPHVM BARONEM

Schvartzenberg, &c.

M

Ontis Adolphe Baro nigri, quem nuper

Iberus

Fortiter in Belgas viderat ire suos:

At nunc Pannonici dux optatissime

Eripis occiso mœnia clara Getæ. (belli)

Hæc tua perpetuis cantabunt laudibus orsa,

Quotquot arenosis alluit Ister aquis.

Tu quoq, iudicio si me non fallit amicus,

Victurum nostro carmine nomen habes.

2
P
R
ber
os:
elli,



MILITIS CHRISTIANI

Nunciat tibi indulgentia de qua
Victor regis minus in agere
Et iam tu feramur impetum
Tunc regis laetitia per fidem
Tamen esse vero credimus pro
Apud te es oculis et animis
Ad hoc partes tibi in vira
Et in acie non suscipere
Sicut superest de fide

AD D. ADOLPHUM BARONEM

Unus Adolphus Baro
Fortiter in Belgia
Asinus Pannonia
Eripit occiso manu
Hic tua per
Quot quot armis
Tunc non, iudicio si me non
Pateram nostris carum

Pol
Ergo



Be 231

8

Di.

ULB Halle 3
002 690 756




56.

VD77








B.I.G.

Farbkarte #13

33. XXXII. 34

AVENA MARTIA,
EPIGRAMMA-
TVM LIBER DE RE-
BUS PANNONICIS,

Auctore
MICHAELE FENDIO MON-
heimensi, P. L.



LAVINGA
Excudebat Leonhardus Reinmichaelius,
Typographus Palatinus Anno 1599.

1926

39.

